



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. IX. Præsentationis ad Beneficium, ubi assistitur illi, qui erat ex
Familia Fundatoris, & ideo juxta hujus Dispositionem Extraneo
præferendus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72287](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72287)

lich zu geben; welche Obligation, tanquam Capitali appensa, ad Monasterium M. transfisse censetur, juxta regulam, quod res quælibet cum onere suo transeat. Auf welchem folglich, das jene Interesse, so von Ihro Hochfürstl. Durchleucht zu hoffen waren, hinnach auch das Kloster M. zu bezahlen gehalten seye, indeme dises gewislich keine usuræ lucrativæ seyn wurden, sondern ex multiplici titulo per modum interesse Könen erforderet werden.

QUÆRITUR V.

Ob nicht oft gedachtes Kloster M. Jure optimo möge condemniret werden in die grosse Streitts-Kosten/ so hierdurch bisshero cauliret worden/ angefangen von Anno 1708. da dise Action coram competente Judice incaminirt worden?

21.

Obwohlen zwar das Kloster M. ex numero temerè litigantium schwerlich sich aufwinden wird; massen der helle Buchstaben sæpius allegatarum obligatio-

num, & Bullæ Pontificiæ alles Recht der Geldteren quæstionis dem Kloster A. in die Hand gibet; mag doch wohl auch hierinnfalls ein Nachsehen billich geschehen ex causis Num.praced. allegatis, und sich das Kloster A. mit dem Capital allein befriedigen lassen, doch solches allein auß gutem Willen, und tragender Reverenz als einer Tochter gegen ihrer Mutter, nicht aber auß einiger Schuldigkeit.

Eben diser Ursachen halber, und weilen auch hierinnfalls einlauffet die Auctorität Ihro Hochfürstl. Durchleucht unseres allerseiths Gnädigsten Fürsten, und Herrn, so Seithen des löbl. Klosters M. vorgeschuet wird, wäre unser unvorgeiffliche Meynung, rathsam zu seyn, daß man von höchst-bemeldter Hochfürstl. Durchleucht eine Commission von etwelchen auß dem Geistlichen Rath unterthänigst außbittete, in welche von beyden Theilen compromittiret, und nach Untersuchung der Sachen, diser Streitt per amicabilem Compositionem ohne Weitläufigkeit beygelegt wurde.

22.

SUBSCRIPSIT FACULTAS JURIDICA
INGOLSTADIENSIS.

CONSILIUM IX.

In Cauſa Præſentationis ad Beneficium.

SUMMARIUM.

1. Et seqq. Facti Species.
5. 6. 7. An Actor ad Beneficium potuerit, & debuerit præſentari? Argumenta pro parte negativa.
8. Respondetur 1. Potuisse præſentari.
9. Et seqq. Solvuntur argumenta opposita. Litera confirmatoria non derogant ipsi Fundationi; nec ad Capellaniam necessario requiritur Sacerdotium. Potuisset obtineri Dispensatio, nisi Patronus obstitisset.
10. Sufficit, ut præſentatus ad Beneficium simplex paulo post primam Tonsuram recipiat.
11. Quando ex Fundatione requiritur, ut præſentandus sit Sacerdos, & per se ipsum Missas celebret, non sufficit, ut intra annum possit Sacerdos fieri. In Casu præſentis onus celebrandi per se ipsum involvit Conditionem, nisi legitima causa obstat.
12. Actor etiam debuit præſentari, ex mente Fundatoris.
13. Defectus ætatis, & Ordinis non obstat Actori.
14. 15. An valida fuerit Præſentatio Rei, Actore neglecto facta?
16. Fuit invalida, vel saltem rescindenda; quia facta est contra voluntatem Fundatorum.
17. Patronus egressus est limites sua potestatis, præſentando extraneum. Actor restituendus in integrum.
18. Præſentatio, ut sit valida, fieri debet de persona idonea, & capaci.
19. An, & quando defectus oculorum obstat præſentando ad Capellaniam?
20. Non posse dicere Missam nisi memoriter, est Circumstantia specialiter exprimenda pro impetranda Dispensatione in defectu oculorum.
21. Prævidens, se non posse celebrare Missam sine morali periculo irreverentia, non potest licite suscipere Presbyteratum.
22. 23. Dispensatio Pontificia super defectu oculorum incurabili, & tali, qualis describitur, est sub- & obreptitè obrenta.
24. Contra inspectionem ocularem extrajudicialiter, & parte altera non citata factam, admittitur probatio per aliam inspectionem ocularem faciendam.
25. Removet Reum à Beneficio tum defectus qualitatis in Fundatione requisita, tum Simonia commissa in promittendo pretio temporali pro Renuntiatione juris Actoris competentis.
26. Et seqq. In Dispensatione super Beneficio quanam sint exprimenda?

29. *Renuntiatio minoris in re Beneficiali mero jure est valida.*
 30. *Minori laeso tamen conceditur Restitutio in integrum, etiam in Resignatione Beneficii, non obstante, quod hoc alteri jam sit collatum.*

31. *Sequestrum fructuum Beneficii litigiosi recte petitur, si periculum subfit, ne consumantur, idque probetur Judici.*
 32. *Fructus Beneficii litigiosi tradi non possunt presentato tantum, & non instituto.*

FACTI SPECIES.

I.



St in Diocesi N. Beneficium simplex, seu Capellania, fundata à Prænobili Familia de P. ea Conditione, & Lege, ut Jus Patronatus ejusdem Beneficii sit perpetuis temporibus penes Seniores Familiae, qui teneatur in casu vacaturae ejusdem Beneficii ad id præsentare Ordinario idoneum Clericum, & quidem aliquem ex Agnatis Fundatorum, si talis adsit, qui velit, & possit Beneficium illud, & onera ejusdem in se suscipere. Assignati sunt Beneficiario huic ex Capitalibus annui redditus 335. fl. cum onere dicendi quatuor Missas hebdomadatim in Capella S. Michaelis, ejusdem Prænobilis Familiae sumptibus constructa, præter Anniversaria quædam secundum Literas Fundationis Num. 2. Vacare Capellania ista cepit per mortem Beneficiarii 8. Aprilis 1714.

2.

Vacaturâ hac innotescente, Prænobilis Domina Regina à P. Vidua, cum idoneis argumentis cognovisset, Seniores Familiae, qui vi Fundationis Patronus erat Capellania, in alium quendam Clericum extraneum præsentandum inclinare, eodem Mense Aprilis ad Reverendissimum Dominum Vicarium Generalem Diocesis N. personaliter abiit, & ab eo suppliciter petiit, ut casu, quo Dominus Patronus, Filio suo Josepho à P. tum Philosophiæ Studioso contra Literas Fundationis præterito, ad illud præsentaret quendam extraneum, eam Præsentationem, tanquam contra tenorem Fundationis factam, Autoritate Ordinaria rejiceret; simul etiam ab Eodem supplicans, ut cum eodem suo Filio, utpote 18. tantum annorum, adeoque ad Ordinem Presbyteratus per ætatem nondum apto, gratiose dispensare vellet, quatenus onera Missarum in casu collati sibi Beneficii per Vicarium implere posset. Ad quam petitionem idem Reverendissimus suavit, ut expectaretur, donec lapso quadrimestri innotesceret, quem Dominus Patronus ad Beneficium præsentaret, addita promissione, se non passurum præjudicium aliquod causæ illius fieri.

3.

Responso isto accepto, Domina Vidua Mense Junio Dominum Patronum, datis primo Literis, & cum Is post quinque hebdomades ad illas non responderet, per Filium suum Franciscum oretenus pro Præsentatione Filii Josephi decenter requiri fecit, cum promissione impetrandi Dispensationem quoad onera Missarum implenda per Vicarium. Sed ille rejectis precibus (quod

etiam per Literas, ad Dominam Viduam 27. Julii 1714. datas, significavit) eodem die 27. Julii ad Beneficium prædictum præsentavit Dominum Franciscum, extraneum, & Extra-diocesanum Clericum, in Minoribus constitutum, & insuper notabilissimo visus in oculo utroque defectu laborantem, super quo tamen defectu ille Dispensationem ab Ordinario suo Autoritate à Sede Apostolica sibi delegata, accepit.

Præsentationem istam idem Dominus Franciscus 7. Augusti anni prædicti Reverendissimo Officio N. obtulit, & Institutionem petiit. Quia verò à parte altera 22. ejusdem Mensis oblata est Oppositio, Institutio fuit dilata. Quod videns Præsentatus, ut litem exinde natam succideret, Dominum Josephum inter pocula induxit, ut concepta ab ipso Præsentato formâ renuntiaret Juri suo: quod iste etiam fecit: sed penitentia ductus, post aliquot dies coram Notario Apostolico jurato revocavit, super qua Revocatione erectum ab isto est Instrumentum publicum, & per Procuratorem coram Reverendissimo Officio productum. Ipse verò Ordines minores postea recepit, impetratâ etiam, cum id haberi à Reverendissimo Officio non posset, à Nuntio Apostolico, & postea etiam à Sede Apostolica Dispensatione ætatis, & oneris Missarum per Vicarium implendi. Quæ Dispensationes etiam oblatae sunt Reverendissimo Officio, à quo etiam petitum, ut fructus Beneficii currentes acciperentur interea in Sequestrum, donec lis finem acciperet. Hac specie Facti posita,

QUÆRITUR I.

An Actor ad Beneficium questionis potuerit, & debuerit presentari?

Videtur, quod non. 1. Quia Capellania hæc est Beneficium Sacerdotale, & habet sibi annexum Ordinem Presbyteratus, ut patet tum ex Literis Confirmatoriis ejusdem, ubi in principio dicitur, quod debeat à Patrono præsentari Sacerdos idoneus; tum ex onere, quod ex vi Fundationis Beneficiario isti incumbit, scilicet legendi hebdomadatim quatuor Missas &c. Igitur præsentandus ad istud debet vel esse actus Sacerdos, vel saltem in ea ætate constitutus, ut intra annum possit suscipere Presbyteratum. Atqui Actor tempore, quo Præsentatio fieri debuit, neque fuit Sacerdos, neque in ea ætate, ut intra annum potuerit suscipere Presbyteratum, utpote qui eo tempore solum impleverat annum ætatis decimum octavum: ergo &c.

2. Ad

5.
Rationes
dubitandi.

6. 2. Ad Beneficium quodcumque etiam simplex præsentandus debet esse Clericus; nam Laicus, qui nullo Ordine, aut primâ saltem tonsurâ insignitus non est, præsentari non potest: neque sufficit, si ante Institutionem ordinetur, sed debet tempore Præsentationis esse Institutionis capax; quia per Præsentationem datur alicuius ad rem, seu actio ad Beneficium, quod Laicis non videtur competere.

Flam. l. 4. de resign. q. 2. n. 5. Lamber-
tin. l. 2. p. 3. q. 2. art. 3. Palao tr. 13.
D. 2. p. 7. n. 1. Barbof. de offic. Episc.
alleg. 72. n. 73. & 78. Pirhing l. 3. De-
cret. tit. 38. n. 95. & alii passim.

Atqui Actor eo tempore, & quadrimestri, intra quod Præsentatio debuit à Patrono fieri, non fuit Clericus, utpote qui minores Ordines primùm suscepit 3. August. 1714. qua die expiravit tempus Patrono Laico ad Præsentationem concessum: ergo &c.

7. 3. Beneficium quæstionis, seu Capellania ex vi Fundationis exigit Clericum, qui per seipsum, & personaliter subeat onera Beneficii, ut patet ex Literis Fundationis.

ubi formalia: Daß ein Caplan solche Pfründen in Gottes Diensten mit seinen selbst eignen Leib/und Person ehrllich/und ehrbarlich versehen solle.

Consequenter excluduntur omnes illi, qui eidem Beneficio deservire solum volunt, aut possunt per Vicarium. Atqui Actor primis 5. aut 6. annis, si collata ipsi statim fuisset Capellania hæc, non potuisset eidem deservire, nisi per Vicarium, utpote qui tanto tempore non poterat suscipere Presbyteratum; & consequenter ad servitia Capellaniæ, exigentis Ordinem Presbyteratus, inidoneus erat: ergo &c.

Sed his non obstantibus, ad Quæstionem Num. 5. propositam

8. Rationes Decidendi, cum Respons. ad argum. oppos.

RESPONDETUR I. Potuit Actor præsentari ad Beneficium seu Capellaniam Quæstionis. Si enim præsentari non potuisset, obstitisset juxta Rationes dubitandi hæcenus allatas 1. Defectus Ætatis, nondum ad Ordinem Presbyteratus, consequenter nec ad functiones Capellaniæ annexas idoneus. 2. Defectus Clericatus, quia, ut Actori quidem objicit Reus, minores Ordines primùm suscepit post lapsum quadrimestre. 3. Obligatio personaliter deservendi Beneficio, quod Actor ob priores duos Defectus non poterat. Atqui nullum ex istis obstat, quin valide, & licite potuerit præsentari.

9. Non primum: quia Literæ Confirmatoriæ non derogant ipsi Fundationi. In Literis autem Fundationis non requiritur expressè Sacerdos, sed tantum dicitur, quod in Beneficio hoc debeat poni Capellanus proprius eius eigner Caplan, quod convenire potest etiam Clerico non Sacerdote; nam etiam iste esse Capellanus potest, modò non expressè, vel tacite cautum sit, ut sit Sacerdos; quia univèrsim, & ex generali consuetudine

R. P. Schmalzgrueber Consil. Tom. I.

in Beneficio Simplici non requiritur personalis residentia, sed sufficit, quod ei deserviat per substitutum.

Pirhing l. 1. Decret. tit. 14. n. 19.

Accedit, quia Actor se obtulit Patrono ad obtinendam dispensationem tum in ætate, tum in servitio personali transferendo in Vicarium, quam dispensationem facile potuisset intra quadrimestre, ad Præsentationem concessum, obtinere; & quod eam non petierit, in causa fuit ipse Patronus, dum supplicanti Præsentationem negavit. Igitur si voluisset Patronus expectare, potuisset ab eo Actor præsentari.

Non etiam obstat secundum: nam si Defectus Clericatus obesset Actori, obesset etiam Reo convento; cum nec ipse fuerit Clericus eo tempore, quo præsentatus ad Beneficium est; quippe qui, ut fatetur ipsemet, jam 19. May 1714. fuit præsentatus; cum tamen Tonsuram, & minores Ordines primùm acceperit 22. Julii ejusdem anni. Si ergo Defectus Clericatus non obfuit Reo, quare Actori obfuit? Ex quo hoc ducitur argumentum; aut Defectus Clericatus obfuit Actori, quin valide potuerit præsentari, aut non obfuit. Si obfuit; ergo neque Reus valide præsentatus est; & sic res adhuc est integra; cum quod initiò invalidum est, tractu temporis non convalescat.

Regul. 18. in 6.

Si non obfuit: ergo Reus iterum invalide præsentatus est; quia præsentatus contra tenorem Fundationis, exigentis præsentari alium de Familia, si adsit aliquis, qui præsentari possit, & Beneficium quæstionis habere velit. Deinde esto, quod tam primam Tonsuram, quam Minores Ordines acceperit primùm post lapsum quadrimestre, adhuc potuisset valide, & licite præsentari ad Beneficium simplex, modò brevi postea accepisset primam Tonsuram, & sic Institutionis se capacem fecisset: quod docent DD. Num. 6. allegati, qui dum ajunt, ad Beneficium non posse præsentari Laicum

cum Rota in Imolensi Juris Patronatus coram D. Orano 19. Novemb. 1584.

excipiunt, nisi Laicus post breve intervallum Clericali Ordine insigniretur. Nam tunc ex Rotæ, & DD. citr. doctrina præsentatus non est penitus inhabilis, si ante Institutionem clericalem tonsuram acciperet. Responsione ista uti etiam Reus debet, quia, ut in fine Duplicæ suæ Lit. B. fatetur, minores Ordines primùm accepit 22. Julii 1714. cum tamen in Exceptione sua antea dixerit, quod ad Beneficium quæstionis præsentatus jam fuerit 19. May ejusdem anni, consequenter antequam fieret Clericus.

Non denique obest Argumentum tertium: in primis enim hoc probat, quod neque Reus præsentari ad Beneficium hoc potuerit. Sequela eruitur ex communi doctrina

apud Engl tit. de Cler. non resid. §. 3. n. 22.

G 2

juxta

IO.

II.

juxta quam, quando ex Fundatione, statuto &c. requiritur, ut præsentandus ad Beneficium sit Sacerdos, & ut per seipsum celebret Missas præscriptas, non sufficit, ut intra annum possit fieri Sacerdos, sed necesse est, ut actu talis sit; qualis tamen Reus non fuit; quippe qui tunc, quando præsentabatur, tantum erat in Minoribus constitutus. Deinde onus per seipsum celebrandi Missas præscriptas non imponitur Beneficiato absolute, sed conditionate tantum, nisi iustum, & legitimum impedimentum ipsum impediatur.

Formalia: Es wäre dann / das ihne ein Kranckheit / oder andere dergleichen ehehaffte Noth / und Ursach daran hinderten.

Est autem ein ehehaffte Ursach, seu legitima, & approbata causa, quæ Actorem impedit, ne personaliter Beneficio deservire possit; quia adhuc versatur in studiis; ob quam causam Beneficiarius à Beneficio saltem simplici abesse cum licentia Episcopi potest: imò etiam ista de Jure non indiget, quippe quam Jus ipsum commune eidem dat

c. relatum. 4. c. tuæ. 12. de Cler. non resid. c. fin. de Magistr. & Trid. Sess. 5. c. 1. de Reform.

ergo &c. Ex quo sequitur, Actorem non magis impediri à consecutione Beneficii Quæstionis, quam impediatur ille, qui residere in suo Beneficio nequit ob studia, quibus vacat. Atqui iste non obstante hoc suo impedimento, tamen præsentari potest ad ejusmodi beneficium: ergo & Actor non obstante sua ætate, & defectu Ordinis Presbyteratus, modo post quinquennium (quod tempus pro studiis datur) possit fieri Sacerdos, & Beneficio in persona deservire.

12.

RESPONDETUR 2. Si Actor ad Beneficium Quæstionis potuit præsentari, etiam debuit præsentari: quod ostenditur; nam ad Beneficium hoc ex vj. Fundationis, si adit aliquis Clericus ex Familia P. qui hoc Beneficium acceptare velit, debet illum præsentare Patronus, prout patet ex Literis Fundationis.

Formalia: Serners sollen zu diesem neu gestifteten Beneficio in casu vacatura jedermahlen die von P. als Agnati der Stifter / und Stifterin (wann anderst einige Clerici Sæculares hiezü qualificiret seyn / es auch verlangen werden) den vordersten Zutritt haben / und vor anderen dar auf præsentiret werden.

Atqui Actor potuit præsentari ad hoc Beneficium: ergo debuit præsentari. Major propositio patet; quia voluntas Fundatorum instar legis custodiri debet. Minor probata est per dicta Resp. 1. quæ in compendium contrahi hoc modo possunt. Si præsentari ad Beneficium Quæstionis Actor non potuisset, ideo non potuisset præsentari, quia Beneficium hoc requirit, ut Capellanus eidem in persona sua, & per seipsum deserviat:

Actor vero istud non potuit, quòd nec actu Sacerdos, nec ejus ætatis fuerit, ut intra annum potuerit fieri Sacerdos. Atqui hoc non impedit, quin præsentari possit; quia aliunde liberabatur ab onere Beneficio personaliter deservendi, nempe ex causa studiorum, quibus tunc vacabat. Igitur sufficisset, si his absolutis ejus ætatis esset, ut fieri Sacerdos, & personaliter deservire Beneficio possit. Poterat autem istud post quinquennium à Jure indultum pro studiis: ergo &c.

Neque obstat, quòd Defectus Ætatis, & Ordinis requisiti ad Beneficium sit novum impedimentum, distinctum ab impedimento Studiorum; consequenter novam inducat inhabilitatem, sicque nova videatur indigere dispensatione. Nam contra est; quia Ætas, & Ordo in hoc Beneficio non requiritur vi Juris communis; cum sit Beneficium simplex tantum; sed ideo tantum, quia Eidem ex voluntate Fundatorum annexum est onus personaliter deservendi. Igitur in eo, qui ad aliquod tempus à Jure ipso liberatur ab onere deservendi, Defectus Ætatis, & Ordinis cessat esse impedimentum, quippe qui tantum requiritur accessorie, & accessorium cadit cum principali

Regul. 42. in 6.

Deinde esto, nova opus fuisset dispensatione, hæc facile obtineri ab Actore potuisset intra quadrimestre, ad Præsentationem faciendam Patrono indultum: sicut illam postea Actor reipso obtinuit primum ab Illustrissimo Lucernensi Nuntio 29. Martii 1715. & postea à Summo Pontifice eodem anno 4. Calend. Octobr. Imò in hoc Casu quoad Defectum Ætatis, & Ordinis dispensare potuisset ipse Ordinarius; cum non Jure communi, sed tantum ex speciali voluntate Fundatorum ad Beneficium hoc requiratur Presbyteratus; in Defectu autem Ætatis, & Ordinis per Jus speciale requisiti facultas sit Ordinatio dispensandi, ut scilicet tale Beneficium possit acquiri absque præscripto Ordine. Denique si Actor nullum Jus ad Beneficium Quæstionis habuit, & præsentari à Patrono non potuit, quare Reus renuntiationem Juris ab ipso Actore extorsit? certe, ut nemo dat, quod non habet, ita nemo dimittit Jus, quod ipsi non competit. Hoc ipso igitur factus est Reus, Actori competitus jus. *Propria autem confessio est optima probatio.*

QUÆRITUR II.

An valida fuerit præsentatio Rei, Actore neglecto facta?

Videtur fuisse valida 1. Quia Actor, quando Præsentatio facta est, nondum erat Clericus, sed Laicus præcisè, quippe qui minores Ordines primum accepit 15. Augusti 1714. post lapsam quadrimestre datum Patrono, & factam jam Præsentationem Domini

13.

14.
Rationes
dubitandi

mini Francisci, qui septimo ejusdem Mensis, & anni eandem Reverendissimo Officio obtulit. 2. Quia idem Actor laboravit Defectu Ætatis, ad Ordines Sacros requisitæ, qui tamen Ordines ex Fundatione annexi sunt Beneficio huic; consequenter cum ipse solus ex Agnatis sollicitaverit Beneficium, nihil ex hac parte obstat, quò minus potuerit presentari extraneus. 3. Quia sollicitata pro Actore fuit Præsentatio à Domina Matre primùm integro mense post Præsentationem Rei, factam 19. Maij; cum tamen Beneficium jam vacaverit 8. Aprilis; mora autem cuilibet sua nociva est

juxta Regul. 25. in 6.

4. Quia renuntiavit Juri suo, si quod habuit, per scripturam expressam. Turpe autem est redire velle ad id, quod quis sponte dimisit;

Cum quod semel placuit, amplius displicere non possit. Regul. 21. eod.

Sed quanti momenti hæc Argumenta sint, facile patet ex hæcenus dictis. Ad 1. Constat ex Num. 10. iustineri Præsentationem Laici, modò intra breve temporis intervalum, & ante Institutionem insigniatur Ordine Clericali. Ad 2. Ostensum est Num. 13. Ordinem Presbyteratùs in Beneficio Quæstionis tantum requiri accessorie ob onus personaliter ei deserviendi. Igitur cum aliunde, nempe ob causam studiorum cadat hæc obligatio, etiam cadet obligatio tempore studiorum habendi Ordinem Presbyteratùs. Ad 3. Præsentatio Rei, ut in Specie Facti habetur, & alio in loco fatetur ipse Reus, facta est die 27. Julij 1714. qua ipsa die ad Actricem Patronus literas denegatorias dedit, & ante hanc Domina Actrix jam multò antea Præsentationem pro filio per literas sollicitavit. Igitur dum sollicitavit Præsentationem, res adhuc fuit integra, & sic Domina Actrix non potest dici fuisse in mora. Et esto, serius fuisset sollicitata Præsentatio, Actori mora ista obesse non potuit, utpote qui ex ipsa Fundatione habebat jus ad rem, & personale ad Beneficium, consequenter jus obligandi Patronum ad Præsentationem sui faciendam. Denique si quid moræ intervenit in effectuanda Præsentatione Actoris, & acquirendis ad hanc requisitis, id totum descendit ex facto alieno Patroni, qui differendo tamdiu responsorias suspensionem non immeritò ingessit animi ab Actore alieni, & magis addicti extraneo; quam etiam prodidit verbis: *Es hätte solches die Frau Mutter um sich nicht verdrüen.* Consequenter factum istud luere non debebat innocens, neque per hoc Dominus Patronus jus obtinuit agendi contra voluntatem Fundatorum expressam. Ad 4. Ut Actor renuntiaret Juri suo, & fateretur, se à Domina Matre ad statum Clericalem, & Beneficium istud prenandum adactum fuisse, inductus fuit clanculariis persuasioneibus, & suggestionibus, prout constat ex Instrumento publico, erecto per Notarium

Apostolicum, cujus Copia adjecta est actis Num. 5. Et esto fraus nulla intervenerit, adversus renuntiationem hanc, cum per illam notabiliter læsus fuerit, ipsi Actori tanquam minorenni competit in integrum restitutio.

Quare ad Quæstionem Num. 14. allatam, DICENDUM, non fuisse validam præsentationem Rei, vel si mero jure valida fuit, eam fuisse infirmam, ita, ut ad instantiam Actoris læsi rescindi possit, & debeat. Ostenditur 1. Quia facta est contra expressam voluntatem Fundatorum, juxta quam si ex Agnatis Fundatorum aliquis adit, qui ad Beneficium Quæstionis presentari possit, & velit, extraneo præferendus est. Atqui voluntas Fundatorum rationabilis implenda est.

Palao. tr. 13. D. 2. p. 7. n. 8.

Ita quidem, ut eo casu, quando aliquis adest ex Agnatis Fundatoris, quibus favere Fundator præ cæteris voluit, ipse præferendus extraneo etiam digniori sit.

Garc. p. 7. de Benef. c. 15. n. 12. Azor p. 2. c. 21. q. 5. Zoesl. de Jur. Patron. n. 23. Pirhing. ibidem n. 95. Wiest. ibid. n. 134. Magnif. P. Schmier p. 2. de Reb. Eccl. c. 3. n. 109.

Imò dignior extraneus, tali casu, & respectivè ad hoc Beneficium omnino dignus, & capax non est; quia dignitas personæ non tantum ex qualitatibus Jure communi requisitis, sed etiam ab iis, quæ ex mente Fundatoris requiruntur, desumitur.

Videatur apud me Lib. 3. Decret. tit. 38. de Jur. Patron. n. 190. Concordat huic doctrinæ Trident. Sess. 25. c. 5. de Reform. ubi vult, ut quando ex Beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione, aut aliis Constitutionibus, qualitates aliqua requiruntur, seu certa illis onera sunt injuncta, in Beneficiorum collatione, seu in quacunque alia dispositione eis non derogetur. Et addit rationem quia ratio postulat, ut illis, quæ bene constituta sunt, contrariis Ordinationibus non derogetur. Hinc S. Congregatio, ut Joan. Gallemart. ad Trid. l. cir. V. qualitates aliqua. Refert, censuit, non licere Episcopo post Concilium, etiam accedente Patronorum consensu, derogare qualitatibus in Beneficii fundatione appositis. Ut adeò circa hoc, prout idem Gallemart V. eis non derogetur. Advertit, Patronorum nulla sit potestas, sed omnino observari debeat fundatio.

Subsumo: atqui Reus non est Agnatus Fundatorum, & adest aliquis ex horum Agnatis, qui ad Beneficium Quæstionis presentari potuit, & voluit, ut ex dictis Num. 8. & seqq. patet: ergo Reus non potuit ad Beneficium hoc presentari, & Patronus illum præsentans, neglecto Agnato, egressus est limites potestatis suæ. Qui autem limites potestatis suæ egreditur, nulliter agit, quæ agit: igitur Præsentatio Rei fuit nulla, vel saltem infirma, ita, ut ad instantiam Actoris

G 3

rescin-

16.
Resolvitur
Quæstio.

15.
Respondetur
argumentis
oppositis.

rescindi possit, & debeat; quia facta est contra jus, isti per Fundationem quæsitum. Addidi, *vel saltem infirma*; parum enim Actoris interest, an ipso Jure sit irrita Præsentatio, quod videtur per argumentum hæc tenus adductum probari; an verò infirma, & rescindenda; quia eo casu imploranti Actori tenetur Judex impertiri Officium suum, & in integrum restituere. Et sufficit ad hujus Præsentationis rescissionem allegari solum, & probari læsionem notabilem; neque opus est præter hanc accedere aliam justam causam, sicut opus est, quando restituitur major,

juxta *l. hujus. 1. ff. ex quib. caus. major.* locumque haberet Restitutio in nostro Casu, etiamsi præsentatus extraneus jam fuisset institutus in Beneficio,

ut probabilius docent Gomez in *Cancell. Regul. de Annal. possess. q. 15.* Covarr. *l. 1. var. c. 5. n. 3.* Molin. *tr. 2. de J. & J. D. 573. n. 16.* & communiter cæteri.

18.

Ostenditur Responsio, *Num. 16.* data, ulterris 2. Quia, ut valida sit Præsentatio à Patrono facta, debet esse Præsentatio personæ idoneæ, & capacis

juxta *c. grave nimis. 29. de Præbend.* ex cujus constitutione ad Beneficia Ecclesiastica assumendi sunt tales, qui *DEO, & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum, & simul instructi sint qualitatibus, per rationabilem Fundatorum voluntatem requisitis, ut dictum est cit. Num. 16. & 17.* Atqui Reus talis non est, tum quia non est Agnatus Fundatoris; tum quia laborat notorio defectu visus: ergo Præsentatio illius non fuit valida, præsertim si verum sit, quòd jam 19. Maji præsentatus ad Beneficium quæstionis fuerit, quippe qui 22. Julij primum accepit minores Ordines, & paulò antè per Ordinarium suum in defectu oculorum auctoritate Apostolica est dispensatus. Et quidem quòd defectus Agnationis juxta Literas Fundationis requisitæ incapacem Beneficii hujus eundem faciat, patet ex dictis *Num. 16. & 17.* præcedentibus.

19.
Opponuntur rationes,

Quòd defectus oculorum eidem non obest, Reus evincere vult sequentibus argumentis. 1. Quia vi Beneficii hujus Capellanus obligatur hebdomadatim ad quatuor Missas, duas de B. V. duas de *Requiem*, quas Missas facillè memoriæ mandare potest, & è memoria dicere; ut adeò obligationi huic non obstat oculorum debilitas. 2. Quia si debilitas visus incapacem ipsum Beneficii Quæstionis redderet, redderet incapacem ob periculum irreverentiæ in tractanda S. Hostia, ne aliquæ ejus particulæ à Sacrificante non advertantur, & ita pereant: atqui hoc periculum ipsi non obest; quia putat, se satisfacturum, si moralem adhibeat diligentiam ad vitandam omnem irreverentiam S. Hostiæ, cujus periculum præbet debilitas visus: igitur Beneficii non est incapax. 3.

Esto, ob debilitatem oculorum fuisset incapax, incapacitatem istam jam sustulit dispensatio ab Ordinario auctoritate Apostolica ipsi data.

Verùm hæc argumenta incapacitatem Rei non tollunt. Nam 1. Capellanus hujus Beneficii ex vi Fundationis tunc solum potest, & debet dicere Missas de Beata, & de *Requiem*, quando istæ non prohibentur: igitur quando istæ prohibentur, debet dicere Missam de Festo, vel Tempore occurrente: item ex vi ejusdem Fundationis debet in Festis, & Dominicis Solennioribus canere Officium solenne juxta tempus occurrens: igitur respectu hujus saltem obligationis habebit moralem impotentiam, licet fortasse quocunque modo satisfacere obligationi suæ posset quoad cætera, dicendo Missam memoriter. Imò non posse dicere Missam nisi memoriter, est nova aliqua circumstantia, ex stylo Romanæ Curie necessariò exprimenda in supplicatione pro dispensatione; cum ea stante fortasse Pontifex non dispensasset.

Ad 2. Argumentum. Qui prævidet, se non posse celebrare Missam sine morali periculo irreverentiæ, non potest eo stante suscipere Presbyteratus Ordinem, licet postea moralem diligentiam adhibeat ad eam cavendam; sicut nec licitè suscipit Officium Judicis, qui prævidet ob imperitiam suam fore morale periculum, ne pronuntiet sæpè sententias injustas, licet ad hoc vitandum post Officium Judicis susceptum, adhibeat omnem possibilem diligentiam. Et ob hoc periculum ab Ordinibus, tanquam irregulares arcentur amentes, epileptici, arreptitii &c. etsi liberati videantur

Arg. Can. communiter. 3. dist. 33.

Quare moralis diligentia à peccato solum excusat illum, qui dum suscepit Officium, bona fide existimavit, nullum fore morale periculum illud malè administrandi.

Ad 3. Inprimis dispensatio Pontificia non videtur se extendere ad dicendam Missam è memoria; quòd colligitur ex adjuncta clausula, quæ Reus jussus est habere semper ante se in medio Altaris tabellam Canonis, non alio fine, quam ut legere illum melius possit, quem difficilius lecturus esset ex Missali in latere ipsius sinistro posito. 2. Dispensatio Summi Pontificis data est cum conditione, *nisi debilitas oculorum impedimentum afferat in faciendis Rebus Divinis.* Atqui certum est, laborare Reum tanto defectu, si ob debilitatem oculorum suorum non possit se accomodare Missæ temporis; cum ad hoc, ut possit Missa dici memoriter, & quocunque die de Beata, vel de *Requiem*, nova dispensatio sit necessaria. 3. Si verum est, quòd ex Judicio Medicorum impartialium defectus oculorum sit incurabilis, & conjunctus cum morali periculo omnimodæ cæcitatatis, non videtur, quòd sua Sanctitas de statu Rei integrè, & plenè informata, dispensatura cum ipso fuisset vel ad Ordines, vel

20.
Et solvuntur.

21.

22.

ad

ad Beneficium, cujus Officium non posset dispensatus sine morali periculo irreverentiæ præstare.

23.

Quare DICENDUM, casu, quo revera defectus oculorum tantus est, qualem Pars Actrix in Exceptione super Quadruplica descripsit, Reum, non obstante Dispensatione sibi concessa, pronuntiandum incapacem Beneficii Questionis: imò Dispensatio data dici debet potius sub- & obreptitia, quippe impetrata reticita veritate, qua detecta forte non fuisset data Dispensatio.

An verò revera tantus in Reo sit oculorum defectus, & an iste perpetuus, & conjunctus cum morali periculo omnimodæ cæcitatibus; optime haberi potest ex judicio Medicorum, & Chirurgorum, præsertim illorum, qui Oculisticam profitentur, ex quorum inspectione oculari deinde standum, & si pronuntiaverint, revera tantum esse defectum, quantum descriptus est, Reus pronuntiabitur Beneficii incapax. Et hoc verum est, etsi legitime fuisset præsentatus; quia si supervenisset talis defectus Præsentationi legitime factæ, debuisset arceri à Beneficio.

Arg. c. ut Abbates. 1. de atat. & qualit.

Igitur etiam arceri ab eo præsentatus debet, si post Præsentationem legitime factam talis defectus de novo appareat;

nam idem est non esse, & non apparere. l. duo junr. 30. ff. de Testam. tutel.

24.

Neque obstat, quòd jam aliquando inspectio ocularis facta sit: nam contra probationem factam per inspectionem ocularem, admittitur alia probatio in contrarium, facienda per aliam inspectionem ocularem, ab aliis æquè peritis facienda, si istud pars petat; præsertim cum inspectio ocularis, in Casu præfenti facta, fuerit extrajudicialis, parte altera non citata, neque facta ad Decisionem litis, sed tantum ad informationem Celsissimi Delegati Apostolici, ut impertiri posset Dispensationem.

25.

Quòd si tamen etiam de novo adhibiti post inspectionem ocularem pronuntiarent, defectum oculorum in Reo non esse tantum, ut eundem removeat ab Ordine Presbyteratus, & Beneficio Questionis, eundem tamen removeret Defectus Qualitatis in Fundatione requisita, juxta dicta Num. 16. & 17. Imò si Reus favorem aliquem ex Præsentatione sua fuisset consecutus, eundem amisisset, vel saltem meritis fuisset amittere, dum Renuntiationem Juris qualiscunque penes Actorem residentis obtinuit promisso pretio temporali, adeoque simoniace. Factum constat ex Literis, juncto Instrumento publico, Autoritate Notarii Apostolici erecto. Num. 5.

* * *

QUÆRITUR III.

An fuerit valida Dispensatio, ab Actore impetrata ex Nuntiatura, & Curia Romana?

Utramque impugnat Reus, & pro subvel obreptitia haberi vult, præcipue verò Dispensationem Nuntiaturæ. 1. Quia data fuit circa Beneficium litigiosum, nulla litis mentione facta. 2. Fuit concessa in præjudicium Præsentati, nec expressè derogavit ejus Juri: quod tamen necesse est; cum neque Pontifex præsumatur velle tollere Jus alteri quæsitum, nisi hoc exprimat. 3. Non præsumitur. Illustrissimus Nuntius dispensaturus, si scivisset, necessarium esse ex tenore Fundationis, ut per seipsum Capellanus fungatur munere suo.

Verum hæc valorem Dispensationis Lucernensis non evertunt: nam 1. Pendentia litis fieri in Supplicatione, & Rescripto ad hanc dato, mentio debet, quando aliàs præjudicaretur parti; per hanc autem Dispensationem parti alteri præjudicatum non fuit: quia, ut à Num. 16. ostensum est, Præsentatio illius fuit invalida, consequenter nullum ipsi Jus tribuit, quod lædi posset. 2. Eodem ex capite non fuit necesse, ut expressè derogaretur Juri Rei conventi, cum nullum habuerit. 3. In Beneficio, in quo necessarium non est, ut Beneficiarius per seipsum onera Beneficii impleat, non est opus Dispensatione ad implendum illa per Vicarium; cum istud Jus ipsum concedat: igitur dum Illustrissimus Nuntius Apostolicus dispensavit, hoc ipso dispensavit in obsequio personali aliàs requisito.

DICENDUM igitur, Dispensationem Nuntiaturæ neque ob- neque subreptionis, aut alio vitio laborare. Et esto laboraret aliquo vitio, vim saltem suam haberet Dispensatio Apostolica; quippe quæ primò facit mentionem litis pendentia. 2. Derogat expressè Juri putativo Rei, dum dixit, contra tenorem Fundationis eundem fuisse nulliter præsentatum. 3. Expressè supponit, dispensatum propter ætatis defectum non posse implere onera Beneficii per seipsum, & ideo permittit illa impleri per Vicarium.

QUÆRITUR IV.

An Renuntiatione Actor sibi præjudicavit; &posito, quòd sibi præjudicavit, ea possit rescindi?

R Espondeo, hanc Renuntiationem merito Jure fuisse validam, & sic Actorem per eam sibi præjudicasse, etiamsi Autoritas Curatoris non intervenerit, quamvis quia per illam Actor graviter læsus est, sit locus in integrum restitutioni. Et quidem quòd Renuntiatio fuerit valida, constat ex eo, quia

26.

Rationes dubitandi

27.

Solvuntur.

28.

Deciditur Quæstio.

29.

quia Clericus minor 25. annis, major tamen 14. in Beneficialibus, & aliis Causis spiritualibus, & ab his dependentibus, habetur pro majore.

C. fin. de judic. in 6.

Hinc pro hujusmodi Causis in Judicio stare, & tum in hoc, tum extra illud exercere actus omnes sine Curatore potest, sicut major 25. annis. Neque obest, quod Renuntiatio hæc fuerit obtenta, ut præfertur, fraude, vel dolo; nam etiam ita obtenta, nisi dolus versetur circa substantiam (quod tamen in Casu nostro factum non est) mero Jure est valida, quamvis rescindenda.

Flamin. l. 13. de resign. q. 3. à n. 1. Valens. de Benef. l. 3. tit. 14. n. 1. & seqq. Wiestner de renunt. n. 5. & alii passim.

30.

Quod verò locus sit in integrum Restitutioni, patet: quia restitutio in integrum minoribus læsis generaliter concessa est à Jure.

C. constitutus. 8. de in integr. Restit. & l. hoc editum. 1. & seqq. ff. de minor.

Et ab hac regula Resignatio Beneficiorum nusquam est excepta. Proceditque hoc, etsi res non amplius esset integra, & Beneficium ita dimissum alteri jam collatum; quia Minoribus beneficium hoc conceditur, quocunque contractu, vel actu læsi sunt, etiam si res distracta, & in alium translata sit.

L. si ex causa. 9. princ. & l. si res pupillaris 49. ff. de minor.

Igitur etiam quando Beneficium Ecclesiasticum, vel Jus ad illud, per Resignationis viam dimissum, & in alium translatum est: ergo &c.

QUÆRITUR V.

An rectè petitum sit Sequestrum fructuum Beneficii, line pendente currentium?

31.

Resp. Affirmativè, si periculum aliquod subsit, ne fructus isti interea consumantur;

quia melius est ante tempus occurrere, quam post vulneratam causam remedium quaerere.

L. fin. C. in quib. caus. in integr. Restit. necess. non est.

Debet tamen periculum Judici probari: quia Sequestratio decerni solum potest, quando justa causa hanc exigit: causa autem justa non præsumitur, sed probari debet.

Vid. Vultejus l. 2. Jurispr. Rom. c. 30. §. 6. in fin. Mynsing. cent. 2. observ. 11. n. 4. Sabell. Sum. §. Sequestrum. n. 2. Harpprecht in §. praterea. 3. Inst. quib. mod. re contrah. oblig. n. 136.

Nullò autem modo fructus isti tradi possunt Præsentato; tum quia nondum in Beneficio institutus est; tum quia lis pendet; & ea pendente nihil est innovandum, sed omnino in statu, in quo res prius erat, cum lis moveretur, ea est conservanda, prout constat tum ex textibus, tum ex Rubrica, *ut lite pendente nihil innovetur*; quæ cum orationem perfectam contineat, Jus inducit, & in Causarum Decisione allegari pro lege potest, prout ex recepta Jurisperitorum Doctrina docent

Ofwaldus ad Donell. l. 26. comment. c. 2. Lit. A. Gottofred. in l. 1. ff. de reb. credit. Lit. F. Gonz. in c. fin. Rubr. cit. n. 4. Canif. tit. eod. n. 1. König ibid. n. 1. Wiest. n. 1.

Ita salvo meliori &c.

NOMINE FACULTATIS JURIDICÆ
DILINGANÆ.



CONSILIUM X.

De Elocatione in Censibus, facta ex Stipendiis in Celebrationem Missarum collatis, & de Missis maturè celebrandis.

SUMMARIUM.

1. Et seqq. Facti Species.
6. Prohibita sunt Reductiones onerum de Missis celebrandis.
7. Tot Missæ celebranda, pro quot celebrandis oblatum est Stipendium, etsi exiguum.
8. Sacerdos alteri Missam celebrandam committens, nihil de suscepto Stipendio sibi retinere potest.
9. Pecunia, vel Bona mobilia cum onere perpetuo celebrandi Missas oblata, quamprimum investienda sunt Bonis immobilibus fructiferis.

10. Onera perpetua celebrandi Missas non suscipienda sine Superioris licentia, in scriptis obtenta.
11. Nova onera celebrandi Missas non suscipienda, nisi antea impostis satisfactum fuerit, vel satisfieri possit.